



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 9. Ad quid obligat contractus alternativus, seu sub disjunctione?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

tialia. Idem dic, quando constat de re, & persona, cui dispositio fit, l. 17. & 33. ff. de condit. & demonstr. quia demonstratio fit ad peculiari- ter indicandam rem, de qua fit dispositio, & personam, cui fit: quare si aliunde de utraque constet, non oberit falsitas. Hinc valet hæc dispositio: dono, vel lego Titio equum me- um, quem emi Parisiis, licet alibi emerim, vel prædium propè urbem situm constans quin- quaginta jugeribus, licet non tot constet. At dum res, quæ demonstratur, non existit, nulla est dispositio defectu materiæ; ut si dicas: do- no, vel lego Titio pecuniam, quam in tali loco habeo, cum ibi nullam habeas.

Q. 9. *Ad quid obligat contractus alternativus, seu sub disjunctione?*

Resp. I. Si disjunctio cadat in res diversæ speciei, v. g. promitto tibi bovem, vel equum, ambæ manent sub obligatione, sed disjunctivè pro arbitrio promissoris, ex l. 10. ff. de Jure dotium, & reg. 70. Jur. in 6. ibi: *in alternativis debitoris est electio: & sufficit alterum adimpleri.* Una autem pereunte tenetur promissor dare, quæ superest, nec sufficit dare pretium rei de- structæ, modò creditoris culpâ non perierit. Si autem alternativa detur in res ejusdem spe- cie, seu quæ differunt solùm secundum plus, & minus, v. g. centum, vel quinquaginta au- reos, aut in tempus, v. g. post annum, vel bien-

biennium, debetur solum id, quod minus est, l. 109. ff. de verbor. oblig. ibi: *si ita stipulatus fuero, decem, aut quindecim dabis? decem debentur. Item si ita, post annum aut biennium dabis? post biennium dabis. Quia in stipulationibus id servatur, ut quod minus esset, quodque longius esse videretur in obligationem deductum.*

Hinc si per errorem majus datum fuit, restitui debet. Si vero disjunctio cadat in personas, v. g. si dones centum Petro vel Paulo, debentur quinquaginta utrique ex jure novo, L. 4. cod. de verb. & rer. signif.

Q. 10. An, & quando contractus sub conditione valet, & obligat?

Resp. I. Contractus seu dispositio sub conditione de presenti vel praeterito, valet, & obligat statim, si conditio extat, vel extitit. Ita omnes. ex l. 37. ff. de rebus credit. quia posita conditione dispositio transit in absolutam, & ei aequivalet: nam ponitur consensus, qui minimè suspensus est. Idem docet communis sententia, si conditio sit de eo, quod necessario futurum est, l. 9. ff. de novat, quia (ut ait S. Thom. in 4. dist. 29. a. 3.) *talia futura jam sunt praesentia in suis causis, & jam in praesenti verum est, quod hoc futurum sit, ac proinde conditio censetur praesens: ut do, vendo tibi, si es moriturus, si sol cras oriatur. Si autem conditio de praesenti, vel praeterito non est, nec*